

1177

1994  
A  
1386









DISPUTATIO NONA  
Theorica-Practica.

De

PROCVRATORIBVS  
ET DEFENSORIBVS.

*Succinctis quibusdam Assertionibus ex utroq; Iure desumpta, nec non precipuis Pragmaticis distincta, ad vsuq; hodiernum fori accommodata.*

QVAM

*SS. Triade adspirante.*

PRÆSIDIBVS

*Clarissimis & Consultissimis Viris ac DD.*

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &  
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,  
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In florentissimo Agrippinensis Facultatis Iuridica Collegio, examini publico ventilandam exhibet ac submittit,*

IOANNES Meull / Iuliacensis.

Anno repar. Salutis 1629. die 26. Aprilis.

9.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.





DISPUTATIO NOMA

Theoriae Juridicae

DE

PROCVRATORIBVS

ET DEFENSORIBVS

LIBVS

Scripturae quaedam adhibitae et notae ad hanc  
scripturam Praesentem adhibita ad hanc  
partem adhibita.

QVAE

II. Tituli adhibita

Praesentibus

Christophoro Casparym M.D.

Dr. Petro Ostermanno, A. V. Doctor, &

Dr. Arnoldo Mares, S. L. Licentio,

respondentibus & P. S. P.

In hunc modum adhibita et notae ad hanc  
scripturam Praesentem adhibita ad hanc  
partem adhibita.

Joann. v. S. L. Licentio

Ann. regni. Salus 1789. die 10. Aprilis.



COPIA MARIANA


Exemplar Praesentis adhibita ad hanc  
partem adhibita.

DISPUTATIO NOMA





## RATIO ORDINIS.

 Mnibus itaque his quibus legibus expressim postulatione interdictum est (quorum numero ij quoq; continentur qui infamia notati) exceptis, reliqui tam pro se quàm alijs postulare non prohibentur, verum quia aliorum gratia postulantes hodie Procuratores appellantur, hiq; istis similes & quodammodo coniuncti sunt, consequens erit de ijs præsentem Disputationem instituere. *VVesenb. in paratit. h. num. 1, Gloss. in rub. h. t.*

## CONCLUSIO PRIMA.

**A** Definitione materiæ exordium sumendo. Procurator à *Icto Vlpiano* in *l. 1. ff. h.* definitur, qui aliena negotia mandatu Domini administrat, in proprio enim negotio nemo suiipsius Procurator dici potest, *l. 42. § 3. ff. h.* atque vt nemini propriè res sua seruire dicitur, *l. 26. In re. ff. de seruitut. urbanor. præd.* ita nec quemquam rerum suarum Procuratorem aut seruum asserimus, idq; ex natura correlatiuorum.

2. Qua specifica forma (scilicet quod mandato Domini aliena negotia extraiudicialiter vel iudicialiter administrat) Procurator à negotiorum gestore, Tutore aut Curatore distinguitur, is enim sine mandato negotiatur, *Treut. th. 1. disp. 10. vol. 1.* hi vero publica autoritate, aut Testatoris, aut legis, agere dicuntur, *VVesenb. parat. h. n. 2.*

3. Huius plures ac diuersæ sunt species, Alius enim Procurator Generalis & omnium bonorum dicitur, *l. 60. ff. h.* Alius vniuersalis aut cum libera, & hic maiorem potestatem generali habet, aliud enim pro alio permutare, exigere, imò etiam transigere potest, *l. 58. ff. h. t.* Alius certæ cuiusdam rei, litis, aut negotij, de quo *d. l. 1. ff. h.* Rursus alius constituitur in rem alienam, alius autem in rem & vtilitatem propriam, Et hic quidem alienum negotium mandatu Domini, in proprium tamen emolumentum gerit, *l. 33. §. fin. ff. h.* qualis est cui Dominus actionem cessit, *l. 55. §. l. 34. ff. h. t.*

4. Denique Alius Iudicialis est, cui scilicet alieno nomine actio aut defensio demandata, de quo in præsentia materia tractabimus; Alius extraiudicialis, qui extra Iudicium quæuis aliena negotia cum mandato administranda suscipit, *l. 42. §. 3. ff. h. t.* de quo latius *t. t. ff. de C. mandari.*



5. Quamuis autē olim alieno nomine (nisi pro populo, pro libertate, &c.) agere, in usu non fuerit, *princ. Inst. de ijs per quos agere poss. vbi Hottom. alijs* Dd. *Cuiac. parat. C. h.* tamen tum utilitas tum necessitas non leuis, atq; hominū commercijs per oportuna Procuratores requirere videtur, *l. 1. §. 2. ff. h.* Non enim omnia per nos, & à nobismetipsis possumus, & ut possumus, est tamen alius alia in re sæpius magis utilis, & commodius per alium negotia nostra expediri reperimur.

6. Vnde infertur Procuratoris dationem actum legitimum non esse, *Cuiac. 15. obs. 16.* quia usus procuratorū non lege sed moribus introductus *d. l. 1. §. pen. ff. h.* imo quibusuis verbis, *Princ. Inst. De ijs per quos. &c.* cōstitui possit.

7. Edictum de procuratoribus cūm prohibitorium sit, *l. 43. §. 1. ff. h. vbi Costal. V Vesenb. in par. h. n. 6.* Ideo omnibus Procuratores dare aut constituere permissum est, qui specialiter in iure nō prohibentur, *arg. l. 12. ff. de Iudic.* prohibentur autem quidam natura, qui scilicet consentire nequeunt. Ratio est quod obligatio inter Dominū & Procuratorem constitutione & acceptatione oriatur *l. 42. §. 2. ff. h.* quales sunt Infantes, Impuberes, §. 10. *Inst. de inutil. stip. l. 12. ff. ad l. Cornel. de sic ar.* Furiosi, mente capti, *l. 2. §. 1. ff. h. §. furiosus. Inst. de inutil. stip. Prodigii,* quibus à magistratu bonis interdictum est, *l. 1. & 10. ff. de Curat. furiosi. l. furiosi 40 ff. de reg. Iur. Treut. thes. 5. de pact.* Quibus an mutus & surdus annumerandi, si eo modo, quo procedere potest constituent, (licet stipulari prohibeantur. §. 7. *Inst. de inutil. stip. l. 1. ff. de V. O.*) negatur, *l. 43. ff. h. Ilico Vmm. in disp. ad process. Iur. direct. thes. 3. n. 8.*

8. Alij lege prohibentur inter quos in primis reperiuntur serui, *l. 32. ff. de R. I.* tum quia ij pro mortuis iure civili habentur, *d. l. 32.* tum quod inter dominum & Procuratorem obligatio oriatur, quæ in seruilē personam cadere nequit, *l. in personam. 22. ff. de R. I. nisi de statu suo litiget. l. 33. §. 1. ff. h. ibiq; Gloss. Menoch. quest. Iud. arbitr. 79. n. 17.*

9. Seruis annuero captos ab hostibus, quamdiu enim in manibus hostium, tamdiu rerum suarum Domini non sunt, *l. 15. ab hostibus ff. ex quib. causis maior.* Excommunicatos *Ilico Vmm. d. disp. n. 10.* argumento illorum quæ tradit *Fach. 5. Controuer. 88. Dissent. Ioan. Dauth. in tract. de testam. n. 256.* qui excommunicatos relegatis comparat, *c. fin. X. de procurat. c. Intelligimus. X. de Iudic.* Bannitos, quia hi omnia bona amittunt, & ciuilitate mortui habentur, adeo ut ne cœptam quidē actionem persequi possint, *Ord. Cam. p. 2. t. 9 §. 2. Gail. 2. pac. p. 12.* hoc autem quantum ad agendum. Nam si in ius vocati fuerint, quin defendi debeant & possint dubium habere non videtur, quia licet iura ciuitatis in qua banniti amittant non tamen ea amisisse dicendum, quæ iuris communis sunt. Et hæc quæ de defensionibus dicta, ad Excommunicatos quoque refero, His denique addo Monachum, *Auth. Ingressi. C. de SS. Eccles.* non autem colonos quos *die Leibeigene* vocamus, hi enim in Francia alibi que, frequentes rectē Procuratores dant, *Vmm. d. disp. n. 9.*

10. Pupillus etiam interueniente tutoris aut curatoris autoritate, quin pro-



procuratorem dare possit, patet expresso *tex. l. 11. vers. pupillus C. h.* & ratio est, quòd hoc casu omne negotium agere possit, §. *pupillus. Inst. de inutil. stip. Rutger. Ruland. 1. de Commiss. 4. 6. 13. n. 8.* Minor si curatore careat ad extrajudicialia uegotia rectè constituet, *l. 43. §. 3. ff. h.* quia hoc casu inuitus Procuratorem habere non cogitur, §. 2. *Inst. de Curat.* secus tamen in constituendo Procurator ead Iudicia, cum alium legitimare non possit, qui ipse personam legitimam standi non habet, *d. princ. Inst. de curat.*

11. Sed quæritur, si de facto litis Procuratorem minor dederit, & pro eo pronunciatum fuerit, an huic sententiæ stabitur? Affirm. placet, quia ob fauorem ætatis datio hæc rata habebitur, sin contra, nullius valoris sententia dicenda videtur, *l. 4. C. h. l. 4. C. quib. in caus. rest. in integ. non est necess. & ibi gloss.* Idem de pupillis ob rationem à maiori ad minus asserendum esse non dubitatur, *Myns. 2. ob. 36. Duaren. h. c. 6. Vmm. d. disp. n. 11.*

12. Procuratores constituere cum soli Domini possint, *gloss. in l. Neque. 11. c. h.* Hinc Syndico Vniuersitatis *l. 74. ff. h.* Item tutori aut Curatori, ante litem contestatam *d. l. 11. c. h.* quamuis ijs actorem constituere liceat, denegatur, *Cauall. in Specul. comm. opin. quest. 330. Mynsing. 2. obser. 38.* Idem de Procuratore ante litem contestatam assero, is enim per litem contestationem primò dominus litis efficitur, *l. 23. C. h.* nisi clausula substitutionis mandato concessio inserta fuerit, quæ non præsumitur, *Mench. 2. pres. 38. n. 2.*

13. Hodie licet regulariter omnes vel per se, vel per procuratores agere in iudicijs possint, excepta Camera, vbi certus & determinatus numerus procuratorum est, extra quem nemo ne quidem principalis ipse ad agendū admittitur, *Cammer Gerichts Ord. p. 1. tit. 18. 19. 20. Gal. 1. obs. 43. n. 6. Myns. 4. obs. 32.* Ab hac tamen regula exceptæ reperiuntur personæ Illustres aut in dignitate constitutæ, *l. 25. & Auth. seq. C. h.* quæ inuitæ etiam per Procuratores litigare coguntur.

14. Ampliatur id non solum in Camera, sed hodie in alijs bene ordinatis Iudicijs receptum est, vt causæ in illa deductæ non nisi per Procuratores expediantur, tum propter litigantium sæpè imperitiam, tum vel maximè vt Iudiciorum ordo eò rectius custodiatur, *Vult. c. 30. n. 22.*

15. Efficiunt autem Procuratorem vel consensus partium expressus *l. 1. ff. mand.* vel tacitus, vt cū Dominus præsens est, & non contradicit, *arg. l. 18. ff. eod. tit. l. 6. §. 2. ff. eod.* Etiam iussus iudicis, qui iuxta DD. petentibus Procuratores constituere potest, *l. 1. §. 4. ff. de postulando.* quod edictum quantumuis non proprie de Procuratoribus sed Aduocatis & Postulatoribus capiatur ex communi DD. opinione tamen ad Procuratores extendi tradit, *VVesenb. paratit. h. n. 4.*

16. Ampliatur id vt in Camera Iudex pupillis & miserabilibus personis ex officio non rogatus Procuratores, siue Aduocatos constituere possit, qui pauperibus & miserabilibus personis sine vllò vocis precio inferuire tenentur, vsque adeo vt sub pecuniaria pœna aut priuatione officij ad id



cogi possint, *arg. l. 1. §. 13. ff. de off. Praef. vrb. Gail. p. 1. obs. 43. n. 17.*

17. Premissis ijs qui Procuratores dare prohibiti reperiuntur, hoc loco nō iniustū videtur illos adducere qui officium Procuratoris subire nequeunt: Inter prohibitos reperiuntur foeminae, ratio est, quod hoc officium virile fit, à quo foeminae merito remouendae, *l. 54. ff. h. l. 2. ff. de reg. iur. ibique Dd. c. Mulierem. 33. quast. 5. c. dilecti X. de arbitr.* Deinde quod inhonestum sit mulierem in foro versari, sexusq; pudori repugnet. *l. 18. C. h.* Quae tamen si propriam causam agant quin admittendae, nil obstat, hoc enim casu nomine tenus procuratrices appellantur, *l. 4. C. h.* Admittuntur praeterea in causis parentum his concurrentibus conditionibus, si eos morbus aut aetas, impediatur in propria persona agere, nec alium habere possint qui procuratorem suscipiat, *l. 41 ff. h. Vmm. d. loc. thes. 4. n. 20.*

18. An eodem modo pro liberis Foeminae vt pro parentibus Procuratrices esse possint? Negat. *l. 18. C. h. in fin.* nec obstat quod maior sit affectio in liberos quam in parentes, Ordinario namque hic remedio mater vti potest ac debet, petendo liberis impuberibus tutores, *d. l. 18. C. h.* neque sicut quis inuitus tutelam suscipere cogitur, *§. 3. in fin. & ibi Dd. Inst. de Attilia. tutore.* ita quoque Procuratoris officio onerandus venit, *l. 17. C. h. l. 8. §. 1. ff. h.* Amplio id ipsum vt foemina, ne quidem maritum in iudicio defendere possit, *§. patitur. Inst. de iniurijs. l. Quia absente. C. h. Castren. ibidem n. 1.*

19. In extraiudicialibus autem foeminae officio Procuratoris liberè fungi possunt, *l. Sed si quis. ff. de Inst. act. l. 3. §. 1. ff. de neg. gest. l. 10. §. si cui. ff. mandati.* ratio diuersitatis est, quod hoc officium non aequè publicum vt prius, sed omnimodo priuatum fit, in quo non minus foeminae, quam mares videntur habiles.

20. Inter prohibitos quoque se offerunt milites propter utilitatem publicam, *l. 8. §. 2. ff. h. vsque adeo,* vt ne proximorum cognatorum, sanguineque iunctorum Procuratores in iudicijs esse possint, *l. 7. C. h. vbi Salic. Bald. Castren. alijque.* Idem de officio Aduocationis suscipiendo non dubitatur fore statuendum, magis etenim patriae quis, quam parentibus astringitur, *arg. l. 1 §. 15. ff. de ventre in possess. mitten.* quod ipsum ita à praecit. Dd. dicto loco restringitur, vt ne quidem ex rescripto Principis Procurator miles constitui possit, quasi Princeps nil valeat contra publicam utilitatem & commodum rescribendo statuere, *Salic. loco relato per l. Nec damnosa. C. de precibus Imp. off.* In re tamen propria aut negotio consortis modo per id disciplina militaris inoffensa permaneat, eos admitti non dubitatur, *l. 9. C. h. d. l. 8. §. 2. ff. h.* His adiungere placet personas Illustres, aut in dignitate existentes, *l. 25 cum Auth. seq. C. h.* Fiscum, Ciuitatem aut vniuersitatem, *tot. tit. C. Ne fiscus aut resp. procurat.* ratio est, ne potentia aut gratia in re priuata causam alterius partis reddant deteriore, Redemptores alienarum litium, *l. 15. C. h.* Reos capitalium criminum, *l. 6. C. h. ibidemque Sichar.* Seruos ex causis *supra in thes. 8.* recensitis: Nec non eos qui morbo perpetuò laborant, vt furdi, muti,



muti, cœci, l. 54. ff. h. l. 1. §. 3. ff. de postulando Vmm. d. disp. n. 14.

21. Infames verò olim de iure ciuili stricto ab hoc officio remotos non fuisse, pat. ex. §. fin. Inst. de. except. ibiq<sup>3</sup> communiter Dd. sent. Schrad. de feud. part. 10. sect. 18. n. 112. Ruland. de commiss. 4. c. 13. n. 14. idque hac ratione quòd officium Procuratoris vile sit, in eoq<sup>ue</sup> dignitas personæ non requiratur, nec obstat quòd Infames ab omnibus honoribus & dignitatibus in iure arceantur, l. 2. C. de dignit. l. 1. C. de Infam. VVesenb. parat. n. 4. Nam officium Procuratoris dignitas non est, sed onus, & sic ab Aduocatis meritò distinguuntur, quorum officium publicum, honorificum, laudabile, & annexam dignitatem habet, l. Laudabile. C. de Aduocat. diuers. Iud. quod non minus vitæ humanæ necessarium esse quàm ipsa militia armata probat Gail. p. 1. obs. 3 textu à Togatis (vt verbis ipsius vtar) albo lapillo notando, l. Aduocati, C. iam d. tit. sed ita tamen supra dicta intelligenda, vt putent Dd. Infames à limine Iudicij per exceptionem repellendos esse, quotiescunque de infamia constaret, eaq<sup>ue</sup> sine protelatione Iudicij probari posset, text. in d. §. fin. Inst. de except. Anton. Fab. in rational. ad l. 7. ff. de recept. arbitr.

22. Vnde cùm hodie hoc officium in Camera alijsq<sup>ue</sup> Tribunalibus summis munus publicum sit, & non amplius onus, sed honos in bene constitutis Iudicijs ij repelluntur, Ord. Camer. p. 1. tit. 18 Gail. 1. obs. 43. num. 7. & 8. quod de iure canon. indistinctè assero. caus. 3. quest. 7. c. Infamis in princ.

23. Occurrit proinde & hæc quæstio: Vtrum Nobilis Procuratoris officio in Camera, aut alio summo Tribunali fungens priuilegia nobilitatis amittat, Neg. amplector, l. 5. C. de dignit. in fin. tum quod nullibi desuper textus in iure expressus reperiatur, adeoque temere id non videatur affirmandum l. 5. ff. de probat. & presumpt. tum quòd nemo citra delictum aut causam dignitate priuari possit, hic verò non modo omnis causa cesset, sed officium exerceatur publicum, reipub. per necessarium, §. 2. l. 1. ff. h. arg. l. 33. §. 2. eod.

24. Quamquam autem minores ante annum 25. Procuratores ad iudicia dari non possint, l. 51. ff. h. tot. tit. C. qui pers. legit. stan. in iudic. non hab. tum quia inciuile sit eis, alienis rebus præesse licere, qui sibi ipsis sufficienter necdum sapiunt, §. 13. vers. Inciuile Inst. de Excusat. tut. l. 1. ff. de minor. tum etiam ne reddatur Iudicium restitutione in integrum nullum & elusorium, quod ampliatur non solum in aliena, sed etiam propria causa procedere, text. in princ. Instit. de Curator. Modo tamen minores non sint 17. annis, in casu necessitatis eos dari posse statuo, l. 12. C. h.

25. Sed vtrum minor 25. annis dignitatem in iure consecutus, si Procurator ad lites datus fuerit, restitutionis beneficio in integrum gaudere, suamq<sup>ue</sup> personam liberare possit, Neg. contra Fach. 3. controu. 5. arg. l. 2. §. Seruius ff. de O. I. defendenda suscipiam, secus erit si in contractu deceptus fuerit, ratio est, quod ea quæ facti sunt, prudentissimos sæpe quoscunque fallant, l. 2. ff. de iur. & facti ign. l. Error. C. eodem. l. 1. C. qui. & aduers. quos.

26. Idem multò magis affirman. censeo casu tali, quo minor iurasset se



non petiturum restitutionem in integrum occasione cuiuscunque actus Iudicialis, ratio est quòd iuramentum id minorem, maiorem efficiat *Auth. Sacramenta puerum C. si aduersus vend. vbi Iason & communiter Dd. Alex. in l. Exigendi. n. 18. C. h.*

27. Procuratoris constitutio cum consensu perficiatur, vt superius *th. 15.* dictum est, ideo non modo præsentes, sed etiam absentes dari & constitui possunt, *l. 1. §. fin. ff. h.* ratio est, quòd ea quæ consensu perficiuntur, inter absentes per nuncium aut epistolam rectè peragantur, *l. 2. ff. de pact. in princ. l. 1. in fin. ff. de contrah. empt.*

28. Et hæc constitutio quantum ad absentem tum subsistit, vbi constitutus factam constitutionem ratam habet, aut literas procurationis sibi transmissas citra contradictionem acceptauit & acquiescit, *l. 65. ff. h.* sola namque taciturnitas Procuratorem non constituit, *l. 8. §. 1. ff. h.* nec inuitus quiscquam Procurator esse cogitur, *l. 17. C. h.*

29. Vnius etiam litis plures esse Procuratores non prohibentur, *l. 31. §. 1. ff. h.* tam à parte rei quàm actoris, ita tamen vt in solidum quod non præsimitur, *Mynsing. 1. obser. 47.* aut saltem coniunctim omnes dentur, nam per partes constituere Procuratores non licet, ne in plures aduersarios altera pars cum incommodo distrahatur, *l. 3. ff. fam. herisc.* verbi gratia, si ab aliquo petantur centum, non potest reus plures Procuratores dare, quarum alius 20 alius 30. tertius denique 50. non deberi defendat, *l. 38. ff. h.*

30. Et hi Procuratores constituuntur & constitui possunt non modo ante cœptum Iudicium, sed etiam post, idq; per ratihabitionem, *l. 56. ff. de Iud. c.* nec solum in perpetuum, *l. 4. ff. h.* sed etiam in diem & sub conditione, *l. 3. ff. h.* imò post submissionem in causa Procurator interuenire & constitui potest, *l. 20. C. h.*

31. Vtrum verò principalis sententiam per falsum Procuratorem pro se, & in fauorem obtentam ratihabere possit? *Neg. cum Fach. 8. cont. 61.* non obstantibus argumentis, à *Gail. lib. 1. obser. 47. pro Affirm. sent.* adductis, ratio est, quod hoc casu nunquam Iudicium extitisse dicatur, *l. 24. C. h.* ratihabitione quoque ante sententiam re adhuc integra fieri debeat, quin tamen in præiudicium & contra latam ratificare possit, dubium non recipit, *l. 3. §. 1. ff. rem ratam hab.* quam distinctionem, *Gail. loc. cit. quoq; adducit.* Ampliatur vt sententia in falsum Procuratorem lata domino nullatenus præiudicet, *l. 1. C. quibus res iud. non noc.*

32. Porro mandata Procuratorum quia in facto consistunt, ea non præsumi, sed probationem requiri asseritur, *arg. l. 2. ff. de probat. & presumpt* probantur verò regulariter instrumentis tum publicis, cum scilicet mandatum coram ipso Iudice datum est, aut actis insinuatum reperitur, quod *gloss. Bart. Cyn. aliq; in l. 1. C. de satisfat. VVurms. tit. 10. obs. 2. vers. mandatum autē.* tam perfectū esse asserunt, vt quicquā cōtra id ipsum opponi posse nequeat. *Vult. c. 30. num. 28.* Aut à Notario desuper instrumentum confectum Procurator



rator exhibeat: Tum priuatis, si mandatum sub propria manu principalis probet, vel testes, in quorum presentia voluntatem suam Dominus litis Procuratori accommodauit, adducat, *Vult d loco, & num.*

33. Præsumitur mandatum tum, si apud Procuratorem instrumenta ad causam Principaliter facientia reperiantur, aut persona coniuncta fuerit, hoc enim casu præstita cautione de rato ad litem vsus contestandâ admittetur, *l. 1. & 21. C. h. Treut. disp. 9. thes 9. p. 1.* Eum tamen si postmodum sese qualificare non potuerit, remoueri posse à Iudice, etiam parte non petente Affirmatur. Hinc ex sola temporis diuturnitate mandatum non præsumi *cum Peck. in c. Ratihabitorium. de R. l. in. 6. num. 6. statuitur.*

34. Et licet coniunctæ personæ absque mandato iuxta præmissa quandoque admittantur, id tamen nõ concedi defendam, si speciale mandatum requiratur & necessarium fuerit *Peck. de Iure sist. c. 3. n. 10.*

35. Coniunctas personas intelligo etiam socium siue consortem, vt pro consorte sine mandato admittatur, *l. fin. C. de consort. eiusdem.* Non etiam amicum in causa amici, ratio est, quod socij præsentis non possint causam suam agere pro parte sua, nisi agant & nomine absentis socij seu consortis, connexitas enim causarum est, quarum tractatio sine incommodo distrahi non potest.

36. Ad formam instrumenti Procuratorij quod attinet, contineri in eo debent nomen constituentis, & procuratoris constituti, contra quem, in qua causa, coram quo Iudice, & ad quos actus Procurator eligatur, *l. 65 ff. h. ibi q. Dd. communiter. V. Vesenb. parat. num. 7.*

37. Verum quia aliqua negotia generali huiusmodi mandato expediri nequeunt, clausulæ quædam speciales illi præterea inferendæ, quales sunt, iuramentum deferre, referre, præstare in animam constituentis Domini, *l. iusiurandū. 18. §. fin. de iureiur.* super lite pacisci, aut transigere, *arg. l. 10. C. h. petere restitutionem in integrum, item petere quartam dilationem, eiusue prorogationem, & similes aliæ, Quibus clausulis deficientibus, præter generale mandatum, quod tali casu pro insufficienti æstimatur, Procuratori etiam omnium bonorum speciali mandato opus est. l. 60. ff. h. l. 7. C. de transf. act. text. in l. 7. §. 1. ff. quib. mod. pig. vel Hypot. sol. modo is non fit cum libera constitutus, vt thes. 3. dictum & distinctione explicatum.*

38. Hactenus de personis quæ officio Procuratoris licitè fungi, & quæ prohibitæ reperiuntur, nec non ijs quibus in iure permissum Procuratores dare, actum, ratio proinde exigere videtur tractare in quibus causis Procuratores interuenire possint.

39. Et regulariter in omnibus pecuniarijs causis Procuratores interuenire posse, *text. in l. 26. C. h. l. 1. ff. an per alium causa appell.* Hinc excipiuntur causæ criminales, *l. pen. §. fin. ff. de publ. Iud. l. 2. C. de his qui accus. non pos. l. 15 C. de accusat.* ratio est, quod omnis qui iudicio publico aliquem accusat, ita in crimen se inscribere cogatur, vt sciat calumniantem ad idem supplicium



cium vocari, *l. fin. C. de accusat.* hanc autem poenam temere contemnere accusatorem praesumi, si ei per procuratorem crimen persequi liceret. Ad absentiam tamen accusatoris excusandam iure admittuntur, ne tanquam calumniator is condemnetur, sed potius iudicium differatur. *d. l. pen §. 1. de publ. iud.* reus quoque criminis propter absentiam excusari, non etiam per Procuratorem defendi potest, *l. 71. ff. h. l. 33. §. 2. eod. Menoch. q. 60. n. 86. & seq.* plurimum namque operatur ad eruendam veritatem reum praesentem de se interrogari & interrogatum respondere, imò multa in eius vultu & sermone sunt, è quibus aut detegitur conscientia admisi, aut innocentia confirmatur, *unde vulgatum*: in Iudicijs criminalibus color & candor omnia pandunt.

40. Quibus annumerantur causae publicae, populares, in quibus ad agendum alius non admittitur, nisi aliunde constituentis interfit, *l. 42. in prin. l. 45. §. 1. ff. h. l. 5. de pop. act.*

41. Procuratorio mandato iuxta praemissa rite ordinato, oriuntur inde duae actiones, quarum una contraria, altera directa appellatur, *l. 42. §. 2. ff. h.* Illa Procuratori contra dominum ut sumptus & litis expensas bona fide & necessario factas restituat, *l. 10. §. 9. l. 12. §. 9. ff. mand.* Haec domino aduersus procuratorem ad id quod ei abest, aut negligenter actum consequendum, competit, *d. l. 12. §. 7. ff. mand. Gail. 1. obs. 45. n. 3.*

42. Verum Procuratorium mandatum sicut consensu constituitur, ita dissensu rursus dissoluitur, obtinetque hoc loco regula vulgata, *l. Nihil tam naturale ff. de reg. iur. arg. l. ab empt. 58. ff. de pact.* si tamen res adhuc integra, & lis necdum contestata fuerit, à solo Principale procurator indistinctè reuocari potest, *text. in l. 16. ff. h. c. Quamuis. 2. de procurat. in 6.* lite verò contestata, utpote Procuratore iam litis domino effecto, id ipsum principali seu domino non licere nisi causa cognita. *Affirm. l. 17. ff. h.*

43. Remoueri alioquin ex iustis causis Procurator à domino potest, nimirum propter grauem eius aetatem, negotijs minus aptam, diuturnam valetudinem aduersam occupationes plurimas, aliaque similia impedimenta, quibus dominus ita distringi Procuratorem aduertat, ut suis negotijs & causis commodè praesse nequeat, *l. 17. ff. h. cum quibusdam sequent.*

44. His annumerari possunt & aliae causae videlicet suspicionis, inimicitiae Domini cum Procuratore postea ortae, vel affinitatis, nimiaeque amicitiae cum aduersario contractae, *l. 21. cum seq. ff. h.* usque adeo ut his casibus modo non aperta falsitas & calumnia domini appareat, Procuratori oppositio contra dominum non concedatur, cum eo ipso quod in rem alienam se ultro & inuito domino ingerere velit, magis suspectus efficiatur, *l. 25. ff. h. vers. sed.*

45. Vtrum autem Procuratoris datio cum pacto de non reuocando valeat? Neg. non obstante communi regula quae praecipit pacta esse seruanda, *l. 1. ff. de pact.* ratio est quod tale pactum contra naturam & essentiam huius contractus sit, cuius essenziale est, ut poenitente constituyente seu Domino reuocari possit, *§. 1. Inst. mandati*: imò rem turpem & illicitam huiusmodi pactum nutrire censetur.



46. Finitur præterea mandatum Procuratorium morte alterutrius interueniente, §. 10. *Inst. mandati. l. 27. §. 3 ff. eod.* renunciatione Procuratoris cum causæ cognitione facta, *l. 17. ff. h. sententia arg. l. 55 ff. de re Iudic. l. 17. & ibi Dd. C. h.* ratio est, quod Procurator inuitus non cogatur in secunda instantia operam suam præbere, cum in paucis sufficiat rebus amici consuluisse. *l. tutori. 20. C. negot. gest. & vltius grauandus non sit Procurator, quàm quatenus negotium in se suscepit, suscepit autem Iudicium id, quod per sententiam modo solutum, resolui igitur & ipsius obligationem ratio dicitur* *VVsenb. in parat h. n. 11.*

47. Procurator damnatus actione Iudicati non tenetur, nisi se obtulerit, cum sciret cautum non esse, aut in rem suam datus sit, *l. Plautius. 61. ff. h.*

48. An autem negligentia Procuratoris Domino obsit? videtur dicendum quod sic, *l. 1. §. fin. ff. quando appelland. sit l. 10. vers. quod si. C. h.* nec resistit quod ea quæ negligenter Procurator administrat, dominus mandasse non censeatur, ratio etenim & æquitas suadent, ea Domino nihilominus potius nocere, quam aduersario, cum sibi imputare debeat cur diligentiori litem suam peragendam non commiserit, *arg. §. fin. Inst. de societate.* Domino tamen aduersus talem negligentem Procuratorem ad suum interesse consequendum actione mandati succurritur *l. 6. §. 1. ff. mandati. Gail. 1. obs. 4. n. 3.*

49. Procuratore autem hoc casu non soluendo existente, vtrum Dominus contra aduersarium suum restitutionem in integrum implorare & obtinere possit? de Iure neg. non obstante contraria sententia quam *Gail. pract. loco num. 6.* defendere conatur, & hoc casu sibi imputabit Dominus cum sciat omnia damna consequi posse actione mandati à negligente Procuratore, cur non elegerit sibi talem qui soluendo esset.

50. Circa contumaciam per Procuratorem commissam, An eodem modo obsit Domino? Respond. distinguendo, vel contumacia commissa in processu Iudicij & nocet domino, *l. 10. C. h. ibiq. Dd. l. 6. §. 1. ff. mandati.* non obesse videtur in infligenda poena seu delicto per Procuratorem commisso, si verbi causa Procurator terminos mandati excedat, aut alio modo delinquat, *tex. in l. vnica. ff. si quis ius dicenti & c. ibiq. Dd.*

51. Procuratione finita Procurator salarium sibi constitutum rectè petet, *l. 1. in fin. C. mandati. l. 6. in princ. ff. eodem.* de quota litis tamen eum pacisci nõ posse affirm. *arg. l. 53. ff. de pactl. 5. C. de postulan.* Ahrra cæterum ei à parte in principio litis aut postmodum data, si non excedat, regulariter in salarium non computabitur, *arg. l. 1. §. in honorarijs. ff. de varijs & extraord. cognit.* Consequetur autem salarium interdum extra ordinem, interdum ex stipulatu, aut actione præscriptis verbis, *Treut. thes. fin. Disp. 9. vol. 1.*

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs, with some lines appearing to be numbered or sectioned. The ink is very light and the paper is aged and yellowed.

2 1 2 1 2






X 2874408


94 A 7386

VD 17










Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



NONA  
tica.

ORIBVS  
ENS O.  
S.

*utroq<sup>3</sup> Iure desumpta, nec  
ta, ad vsuq<sup>3</sup> bodier-  
odata.*

*rante.*

VS  
*is Viris ac DD.*

o, I. V. Doctore, &  
SS. LL. Licentiato,  
& Fisco.

*is Iuridica Collegio, exa-  
ibet ac submittit,*

Iuliacensis.  
die 26. Aprilis.

PINÆ,  
rope Augustinianos.